DE

CURA AD PUERPERAS SPECTANTE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
QUAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA-GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXIV. M. APRILIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

THEOPH. FRIED. SCHIELE,
HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. MÜLLER, UTR. MED. DR.
F. RUPP, UTR. MED. DR.
F. PÜLLENBERG, UTR. MED. DR.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI OPTIMO

FRIEDERICO SCHIELE

CHIRURGO FORENSI APUD HALBERSTADIENSES

PAGELLAS HAS

UT PIETATIS SIGNUM

D. D. D.

FILIUS.

LECTURO BENEVOLO.

Non ut novi quid, sed ut rarius dissertatione tractatum ipse tractarem, thema hoc tractandum mihi proposui.

D. BEROLINI D. XXVI. M. MARTII A. MDCCCXXIX.

AUCTOR.

Puerperium, status naturalis, partu facto, graviditatem omnem sequitur. Incipit igitur simul quinta partus periodo finita, finiturque contra in foeminis parvulum haud ex mammis nutrientibus, cessantibus lochiis albis. Hoc enim tempore paene omnia graviditatis prioris vestigia ex utero evanuerunt. Spatium hoc, per sex hebdomades terminatum dicunt, quamvis fere nunquam tam diu durat: attamen rediens in puerperis infanti mammas non praebentibus, menstruatio hoc temporis spatio praeterlapso, verisimillime ansam praebuit, praesertim cum illae nunc conceptionis secundae multo capaciores sint, illis ex mamma nutrientibus.

I. Decursus puerperii regularis.

Partu finito i. e. finita partus periodo quinta, qua, naturae viribus placenta expulsa est utero, neque ex illo satis contracto haemorrhagia fortior fit; mater nova simul cum laeto animo de partu feliciter facto, lassitudinem, illi, post magnam virium contentionem, haud dissimilem percipit. Lassitudo haec saepius horroris impetu interrumpitnr, qui ex minore maioreve mulieris sensibilitate, vel quo minus, vel quo magis illa inter partum sudaverat, fortior est. Tum vero intrante somnolentia, puerpera

eo libentius se somno dabit, quo diutius illo per dolorum tempus caruerat.

Inter hunc vero super totum illius corpus calor et transpiratio se expandunt, tandemque nova expergiscit mater recreata, ut laetitia maxima de prole fruatur. Omni tunc de partu futuro cura exstincta, mater parvulum respiciens dormientem, pro omnibus ad partum doloribus satis se renumeratam habet.

Rarissime tamen evenit, ut puerpera plane a doloribus in abdomine libera sit; in omni enim partu genitalia parientis magis vel minus laeduntur, et inflammatio inde tensionem, quassationem, diruptionemque sequens foeminam valde afficit, tum vero saepius etiam dolores post partum vehementes illam cruciant, neque prius quies intrat, quam illae cessarint affectiones.

Foetu utero excluso ex genitalibus muliebribus maior vel minor sanguinis copia effunditur. Excretionem hanc lochia (a ἡ λοχός, puerpera) l. v. Kindbettfluss, Wochenfluss, Wochenreinigung, nominant. Initio sanguis purus partim coagulatus simul cum reliquiis membranae Hunteri deciduae defluit. Excernitur ex uteri vasis, praesertim ex fundo uteri, propter quod soluta in illo placenta uterus quasi vulneratus videtur. Effluxus sanguinis in omnibus puerperis diversus, diverso tempore finitur adeoque in una eademque muliere sequente quoque puerperio mutatur. In universum observarunt in diuturum gravemque partus laborem per-

pessis, minorem esse quam in leviter parturientibus. Praeterea lochia rubra in foeminis fibrae tenuioris laxaeque per longius temporis spatium durant; in his enim eadem ex causa uterus non tam celeriter se contrahit, igiturque praecipue in multiparis, in plethoricis et in exsanguinibus simul cachexia quadam laborantibus. — Et Hippocrates nata filiola copiosius diutiusque, nato autem puero minus breviusque lochia defluere narrat.

Quoad sanguis hic vel humor e genitalibus muliebribus defluens coloris sanguinei est, fluxum hunc lochiorum rubrorum dicunt, dein plerumque tertio die, quo, febre lactationis intrante, nova secretio oritur, fluxus ille in fluxum alborum mutatur.

Humor nunc excretus coloris ex luteo albicantis male olet, serosa simul et mucosa parte constat; diminuitur quoque spatio ita ut interdum octavo die, in aliis vero decimo quarto plane cesset. Ceterum his in lochiis causae supra dictae eiusdem ponderis sunt, ita quidem ut vel nato puero, vel nata puella, lochia alba per quatuor usque ad sex hebdomadnm spatium durare, immo in blennorrhoeam tam uteri, quam et vaginae degenerare possint.

Foetus, utero inclusus, sanguine matris nutritur; omni carenti victu ex quo propria reproductionis vi materiam nutrientem sibi assimilare posset: plane secundum Linnaeum, qui terram plantarum ventriculum nominavit, placenta vel uterus locum ventriculi tenet. Nato autem simulatque a matre excluso, servando illi alia, qua vita su-

stentetur, via aperta esset necesse erat. Tum vero sapiens illi natura prospexit, ut e matris succis nutrimentum et iam ante partum et facto illo, praecipue e sanguine matris in mammis paratum simulatque infanti lac idoneum secretum esset. Plerumque iam in quarto graviditatis mense, quo formata placenta uterus magis pro foetus incremento, hucusque satis obscuro, suppeditat, mammae praecipue in primiparis per consensum irritatae, ad munera, ut ita dicam, attenduntur.

Sensim sensimque intumescentes duriores fiunt magisque digito impresso resistunt. Oritur in iis dolor pungens simul cum oppressione quadam pectoris respirationeque impedita; noduli circa papillam aucti surgunt; interdum nunc manu impressa, saepius autem graviditate paene finita, humor lacteus e mammis exprimitur. Molestiis his sensim sensimque cessantibus, denique modo ante partum, vel statim partu facto actione uteri in mammas translata, in his succus, quo neonatus alatur, secernitur. Hic quidem non statim perfectus, primo colostrum est i. e. humor sero lactis simillimus omni paene pinguedine caseoque destitutus optime tamen meconii excretioni conveniens. Dein vero, tertio post partum die febricula intrat, signum quasi secretionis lactis completae, parvulum bene nutrientis. Plerumque febris haec lactationis prodromis symptomatisque his intrat: puerpera nocte antecedente omni caret somno quieteque, dormiens autem somnio anxio cruciata saepius expergefit. Sub matutino

tempore pulsus solito celerior est. Saepius prodromis his cephalalgia intervenit, horrorque, interdum levis, qui per columnam vertebrarum decurrens, quovis corporis motu ad humeros immo supra totum corpus se extendit saepiusque redit. Tum vero vespertino tempore calore sequente pulsus celerior fortiorque fit, mammae volumine auctae dolent et humorem aquosum excernunt. In humeris et dorso puerperae dolore tenso affectae lac quasi ex axillis ad mammas trahi sentiunt; respiratio quodammodo difficilior molestiorque fit; lochiorum fluxus diminutus, plerumque albus fit, vel multo minus coloris rubri; circulus subfuscus papillarum saepe nigricat, papillae surgunt intumefactae; glandularum circumjacentium intumescentia dolorem excitat, simulque brachia propter magnum vicinarum partium volumen difficilius moveri possunt et ipsis in mammis nodi oriuntur tactu sensibiles dolentesque. Nocte sequente calor aeque vehemens puerperae somnum causat inquietum, deinde autem omnibus symptomatis tempore matutino mitigatis, pulsus moderatior fit, sequiturque quies nonnulla simul cum transpiratione leniore. Remissio haec aliquot horas durat, nunquam autem puerpera plane sine febre est. Tempore post meridiano exacerbatio febris intrat frigore. Pulsus initio plerumque parvus celerque, fortior fit et celerior, saepiusque quoad quantitatem qualitatemque mutatur. Aegrotae quoque cephalalgia vehementer affectae dedolationeque vexatae, parum dormiunt; fluxu

lochiorum magis turbato color faciei rubrior fit, difficiliusque aegrota respirat; febre aucta pulsus durus et frequentior est. Tandem media nocte omnibus symptomatibus denuo mitigatis, febris remittit. Puerpera quiete se gerente, potuque leni antiphlogistico fruente iuxta victum tenuem, symptomata haec febris continuo-remittentis post largam lactationem totiusque corporis sudorem aciduli odoris per duos vel tres dies plane remittunt. Interdum febris quàtuor vel quinque dies durans, nono inde post partum die ita ut vix sentiamus, evanescit. Brevissime sicuti febris simplex ephemera, intra viginti quatuor vel triginta horas finitur, immo in mulieribus bonae constitutionis interdum talis est, ut, excepta nocte minus quieta, vix alia illae molestia vexentur, praesertim cum parvulum lacte foveant.

Febre hac praetergressa lactationeque bene progressa, mater bene se habet. Genitalia mox in statum priorem non gravidum redeunt et per breve tantummodo tempus edito prole maturo (dum nato foetu immaturo res aliter se habet) sequentia animadvertere possumus: vagina amplior, mollior et sordida dolet; portio vaginalis uteri magis cylindrica est, crassior et mollior occaluit; os uteri ita apertum est, ut facillime digitum introducere possimus; labium eius utrumque non exacte coëuns (anteriore multo longiore) marginem habet interruptum, tactuque dolentem. Abdomen sordidi coloris est ac sugillatum videtur ex varicosis vasis; etiamsi non magis tumeat, semper tamen in illo

rugae remanent, potiusque mulieri minus pulchritudini abdominis prospicienti; supra ossium pubis synchondrosin semper adhuc uterus maiore volumine auctus manu abdomini imposita tangi potest. Tandem vero denuo menstruationis fluxus, uti iam supra diximus, in mulieribus non lactantibus, circa sextam hebdomadem redit, in matre autem parvulo lac e mammis suppeditante fluxus mensium tamdiu cessare solet, quamdiu munere, parvulum mammis nutriendi, fungitur.

II. Character puerperii.

Sicuti bona valetudo et aegritudo inter sese comparatae haud stricte certisque finibus discerni possunt, ita etiam graviditas et puerperium rationem quandam inter sese habent quin binas notiones vocabula, idem declarantia, proponere possimus. Quo firmior generatim illa erat, eo celerius morbus decurret, qui, etsi gravis, tamen certamine cum bona illius constitutione inito, hanc victricem agnoscet, et contra. Res idem se habet in puerperio, naturali, graviditate praegressa, mulieris statu non autem morboso. Valetudinem haud infestans feliciter decurret, muliere ante graviditatem et in illa ipsa bona valetudine et energia vis vitalis fruente, feliciter et facili negotio parturiente, modoque post partum mammas bene constitutas parvulo, iuste sugenti, praebente. Plurimum autem interest ne puerperium potentiis nocentibus, eo facilius morbum provocantibus, quod revera puerperae maxima mor-

borum opportunitate praeditae illis inclinant, turbatum fit. Opinio modo proposita praecipue praesentem comparando statum graviditate et partu, sicuti extra illum satis nobis illucebit. Hoc modo tantummodo, omissis omnibus aliis rebus, ex quibus singulum quodvis puerperium characterem recipiet, generatim character puerperii proponi potest, quamvis complures autores, ad has magis respicientes, generatim characterem puerperii destinent.

In graviditate uterus prae omnibus summum mulieris organon est. Iam in pubertate documentum maioris ad illum humorum turgescentiae, sequente quoque mense sanguis superfluus ex vasis illius secretus excernitur. Gravido illo excretio haec cessat, omnisque in eo accumulatur vis plastica cum damno totius reliqui organismi; sanguis non magis superfluus partim ad excolendum foetum, partim ad ipsum uterum augendum adhibetur. Attamen hoc tantum sensim pedetentim fit, quamobrem ad summum hoc organon humores etiam sensim magis magisque turgent: summa igitur humorum copia in hoc organo contenta erit, excolendis ubique bene excultis. Tum vero foetus nascitur maturus, cum matre exclusus vitam illi non magis obnoxiam degere i. e. per respirationis organa spiritum ad vitam necessarium ducere potest. Aliter res sese habet in utero. A summae vitae statu maximique augmenti gradu descendat et ex diutino labore, quieti, qua ante graviditatem fruebatur, se det necesse est. Multum autem abest, quin sta-

tus hic statim, excluso foetu, adesset, vel uterus partu facto irritabilitatem vitaeque auctam vim, quibus gravidus abundabat, amisisset, semper adhuc in systemate uterino aucta vis plastica praedominat, dum vita ceteri organismi saepius plane illi contraria esse potest. Status hic irritationis augetur adhuc eo ut abdomine non diutius extenso neque utero gravido, contra organa illius apprimente, vasaque praecipue comprimente, his maiore copia sanguinis adducta, magna oriatur abdominis plethora. Ecce causam non solum proclivitatis inflammationum organorum abdominis, sed etiam haemorrhagiae uteri, quae, gravi laboriosoque antecedente partu, simul instrumentorum apparatu laedente promoto, eo facilius orientur. Attamen sensim sensimque mala haec proportio derivatione tollitur, auctisque tam secretionibus quam et excretionibus adaequatur. Partu facto lochia quoque rubra fluentia deducunt purum illum sanguinem, quo antea foetus nondum a matre separatus alebatur, tum vero etiam lac secernitur, et genitalium sensu strictiore actio in puerperis absque utero decedens ad mammas transit. Priusquam tamen secretio lactis in mammis plane perfecta fit, et aliud colatorium aperitur cute. Oritur in illa altior vita et status illius antea magis passivus, per graviditatem durans, mox evanescit; color eius magis viget simulque benignus supra totum corpus se expandens sudor, fere sine interruptione usque ad quintum vel septimum post partum diem durat, donec, mammis

plane munere fungentibus, infantulus satis inde nutrimenti capiat. Tum vero, puerpera bene se habente, aucta cutis vita, rheumatismus chronicus, dolores ex causa arthritica celerrime evanescunt, sicuti et ulcera, exanthemata, similesque morbi chronici superficiales sanantur. Quaeritur autem, quinam morbi oriantur derivatione hac diversa turbata? Quaeritur, an morbi exorti puerperii characteri generatim proposito, congrui sint, nec ne? Saepissime proh dolor! experientia edocti sumus, turbata hac derivatione, qualiscunque sit causa, statim symptomata morbosa exoriri, tam phlogistica, quam et gastrica spasticaque, in quibus status gastricus semper praedominat. Idcirco puerperas et minimo refrigerio, frequentissime diarrhoea valde debilitante, metastasi lactea, inflammatione organi ullius abdominis, suppressione lochiorum fluxus, rheumatismo, convulsionibus et refrigeratione subito intrante, febre puerperali vehementissima laborantes videmus.

III. Cura in puerperio.

Regulari puerperii decursu cura tantummodo prophylactica esse potest i. e. curandum est, ne morbi oriantur. Hunc ad finem non tam in medico solum, quam praesertim in puerpera ipsa situm est, ut bene sibi prospiciat. Sicuti saepissime, aegroto bene se habente in stadio prodromorum, morbus ipse averti potest, ita etiam, puerpera bene se gerente felicem puerperii, quod stadium prodromorum

morbi habere possumus, decursum sibi parare, transitumque in morbos pessimos prohibere potest. Hinc igitur omnino curam in puerperio, in curam quam puerpera sibi met ipsi debet, et in curam, quae medici est, distinguere possumus, difficiliter tamen cuiuslibet officia separatim proponi possunt. Melior mihi videtur ratio, ex qua semel generatim, dein vero specialiter curam puerperarum distinguimus, hancque sequens primo curam generalem tum autem specialem proponam.

I. Generalia de cura puerperarum.

(Pars cosmetica curae puerperarum)

Prospiciamus necesse est:

1. cubiculo puerperarum bene constructo. Sit satis magnum, iaceatque remotum absque omni strepitu praecipue ad septentrionem ne nec essesit, ut velatis fenestris radios lucis fortius incidentes amoveamus. Nimia enim luce tam puerperae, saepius contra illam maxime sensibiles, quam praecipue parvulus infans valde vexantur. Attamen contra curandum est, ut caligine hoc modico, velis ante fenestras obducendis, posito, puerpera protecta sit. Tali modo quietis rebus externis, puerperae quies suppeditatur. Tum vero videndum est, ne ex bubiculo ipso perperam constructo puerperae damnum fiat. Huc praecipue vitiosus in illo aër pertinet. Valde enim puerpera caveat necesse est, ne refrigerio obnoxia fiat, cui maxime prona est. Quamobrem ut illud prohibeamus maxime ad aëris temperationem spectandum est. Sit ille modice

2

calidus, immó calidior, nunqam autem frigidus, optimus vero semper aequus. Attamen semper renovando illi prospiciendum est, ita ut fenestra vel ventilatore in conclavi propinquo vel in ipso puerperarum cubiculo apertis, velisque ante fenestras ipsas obductis, aura permeans puerperam ipsam non tangat. Omnia, quibus inquinari posset aër, e. g. candela nocturna accensa vaporans, foculus, humida ad fornicem lintea siccantia, aeque ac flores odorem ample spargentes, omnes ad suffiendum species fortes, removenda sunt. Sin vero fumigatione opus est, optime aceto utimur, quod effusum supra laminam ferream calefactam vel simul cum caryophyllis super lampade ex spiritu vini, evaporamus, indeque odorem spargimus iucundissimum.

2) lectulo puerperae. Minime peculiari hic opus est cubili, sicuti e. g. fractura laborantibus, longius per temporis spatium cubantibus destinato, sed si necessitate cogimur, quidquid cubile sufficit. Quaeritur solummodo, cuiusmodi sit lectulus, quo mulier in primis puerperii diebus cubet? Aptissimus est lectulus ex cilicio vel sacco stramento referto, super quem stragum linteum positum est, simul cum integumento laneo crassiore, vel culcita levissima, quae lecto insternatur. Lectulus ille, etsi etiam individuo illo non consueto, admodum durus reiici posset, minus absque in illo cubante comprimitur, subiculum magis aequum manet; formantur neque plicae cubanti molestissimae, ne-

que locus depressior, quo situs paulum antea commodus, mox denuo incommodus fit. Subiculum saepius mutandum ad maiorem puerperae munditiem celerrime facili negotio mutari potest. Cubile frigidiusculum est; puerpera praeterea magis ad calorem auctum sudoremque prona hunc facilius suffert, eademque ex causa, transpiratione cutanea gravi culcita plumea non aucta, multo minus refrigerationi obnoxia est. Superiorem corporis partem facilius liberiusque sine ullo inde sibi oriundo damno movere potest.

Lectulum ita constructum in ipso puerperae cubiculo ita collocamus, ut tam portam proximam quam et fenestram, in quarum vicinia transitus aurae semper sentitur, evitemus, neque hiemis tempore propius ad fornicem ponamus necesse est. Tum vero curandum est, ut undique illo patente, aditus ad puerperam cubantem facilis sit, illi ipsi quivis motus inutilis non liceat, curatrici vero quodammodo cura facilior reddatur.

3) translocationi puerperae. Partu facto puerperam translocandam curamus, ita quidem, ut, illa a foemina alia sub humeris sustenta, obstetrice vero extremitates illius inferiores arctius contentas, gerente, a sella parturientibus apta, in lectum hunc bene collocatum, transferatur. Cubiculo puerperae longius remoto, magis congruum est, puerperam, sicuti in instituto publico, super ferculum positam in illud transferre. Hoc modo praecipue prolapsus uteri vaginaeque, facillime in

puerpera a sella surgente, qua liberum ediderat, abeunteque ad lectulum, oriundi, prohibentur.

4) puerperae ipsi in cubili cubanti. Reposita muliere, partu facto, in lectulum, obstetricis vel curatricis est, maximam in illam conferre diligentiam. Haec praecipue ad puerperae positionem spectat. Detractis illi omnibus inter ipsum partum ex sudore sanguineque vestibus sordidis, vestimentum induitur mundum bene superiorem corporis partem tegens. Tum vero curatrix in lectulo mulieris posterioribus linteum ceratum vel pellem capreae supponit, ne humores defluentes lectulum penetrent, huic inde aliud subiculum linteum, quod sordidum iterum mutetur necesse est, imponit. Partu in illo cubili facto, quo mulier puerpera cubaret, subiculum inter partum sordidum factum mutandum est linteis mundis calefactis. Abdomen tum fovendum est; evitamus hoc modo colicas (dolores post partum spurios) suppressionesque lochiorum; optime fit vinculo sic dicto puerperarum, quo simul regularis uteri contractio adjuvatur, prohibiturque haemorrhagia uteri. Vinculum hoc ex duplici linteo consutum, cubitae dimidiae longitudinem paulum excedens, semel abdomen puerperae vacuum circumdet necesse est. In latitudine digitorum quaternorum inde ab margine uno quaternae incisiones sint ad excipiendas totidem in altero margine assutas copulas ex linteo factas, tres digitos latas, et quadrantem cubitae partem longas. Copulae hae in medio abdomine incisionibus his transmissae inde deor-

sum sursum contractae satis adstringuntur. Vinculo hoc destituti mantili lato utimur, quod, sicuti vinculum abdomini puerperae circumvolutum, accuratius acubus adstringimus, ita quidem, ut neque dolores neque oppressionem quandam mulieri causemus.

Vinculo hoc partes abdominis molles, extensione antecedente debilitatae, quasi fulcro utuntur, parietes abdominis melius contrahuntur, neque remanent tot tantaeque rugae: immo postea vix ex exploratione externa abdominis primiparum cognosci dicitur, quo melius puerpera vinculum bene constrictum in situ suo retinuit. Simul vacuo utero ortum in abdomine vacuum coërcetur et nimio inde oriunda plethora abdominalis. Nonnullis diebus praeterlapsis vinculum magis adhuc constringitur.

Tunc vero ipsi puerperae situs quietus mandatur, ita quidem, ut semper femoribus inter se iunctis magis horizontalis, quam erecta superiore corporis parte cubet, simul et minimum corporis motum vitaret.

Minus hoc modo debilitata ex partu genitalia irritantur celeriusque quiete hac in statum relative normalem redeunt; qua quidem eo magis opus est, quo magis ex partu perinaeum vulneratum est.

Durante puerperio summa quoad corporis lectique lintea, ideoque ipsius puerperae mundities sit necesse est. Foedissimum est, puerperam sae-

pius per dies maxima in immunditie, haud lecto haud linteis mutatis cubantem videre. Ne ipsae quidem ministrae sine taedio sequelaque tolerare possunt, quam multo magis inde puerpera ipsa afficiatur necesse est, praesertim cum saepius sanguine lochiisque defluxis male olentibus madens, lectoque usque ad mentum obtecta recentem haurire nequeat aërem. Jam in hominibus bonae valetudinis magni interest tam corpus, quam et atmosphaeram purificare, multoque ergo magis in aegrotis fiat necesse est. Multum igitur prodest, ubi fieri potest, subiculum puerperae saepius, saltemque semel per diem mutare. Ipsa puerpera singulis diebus indusium sordidum novo commutet; sordes a tota corporis parte inferiore tamdiu spongia, tepida aqua repleta, eluendae sunt donec ipsa puerpera serius munere hoc supra labrum, puerperis ad abluendum sese destinatum, fungi possit. Lintea denuo supposita diligentissime semper siccata calefactaque sint necesse est, contra vero facillime inde damnum oriri potest.

Attamen vero mundities haec ornatum crinium minime una comprehendit: contra durante puerperio mulier capillos non depectere opus est, quod experientia docuit, illos non solum defluere, sed etiam pubes; attamen semper adhuc magna calanticarum copia illi subveniet ad pulchritudinem sibi augendam.

Eadem cautione puerpera sibi met ipsi prospiciat necesse est, si necessitate coacta e lecto sur-

git e. g. ad lectum sternendum, vel si necessitati cui parere vult. Ut omne refrigerium prohibeatur, statim pallium sumat, et ne pedes frigore tangantur, valde convenit, ut, cubiculo ipso non storea tecto, saltem ante lectum ipsum gausape extendatur, quo pedes imponere possit. Praeterea, deficiente alio cubili ad maiorem puerperae commoditatem sella acclinatoria in promtu sit, qua illa sedere possit.

Attamen, ne puerpera, febre lactea plane iam soluta, surgat, valde commodum est. In primis post partum diebus sponte haud surgere potest puerpera dedolatione affecta, libentissimeque se quieti dat; serius autem totum per diem extra lectum degere et munere matrisfamilias fungi ei in animo est. Praecipue ita mulieres obscuro loco oriundae agunt, adeoque magni habent in ipso, quo peperunt, die, familiae largam parare coenam simulque consumere. Et omissa coena, iam solum maximo cum periculo puerpera e lecto surgit; oriuntur non solum inde morbi locales foedissimi, sed etiam facillime morbi universales e. g. spasmi, rheumatismus etc. Quamobrem tam medicus, quam et obstetrix vel cognati prohibeant necesse est, quo minus puerpera ante tempus e lecto surgat; recubet in illo cessante lochiorum sanguineorum fluxu, quod ante diem quintum non fieri potest (mulieri valde debilitatae maiorisque irritabilitatis, vel matri parvulo mammas non praebenti et longius tempus destinandum est); tum vero praeterlapso hoc tempore per breve tan-

tummodo tempus adhuc recubet, abstineat autem a quavis motione nimia. Vestimentum puerperae non diutius recubantis commodum sit frigusque arceat; vinculum abdomini per longius temporis spatium circumvolutum sit, quo magis puerpera laxae venosaeque constitutionis est, aeque ac in multiparis, neque satis aptum contractionis in utero et in abdominis pariete adjumentum commendari potest.

2. Specialia de cura puerperarum.
(Pars dieatetico-therapeutica curae ad puerperas spectantis).

Etsi in puerperio regulari paulum de therapia proferre possimus, saepius tamen durante illo symptomata exoriri possunt, quae medicum ad auxilium ferendum impellere possunt, quin statui huic nomen morbi dare possemus. Hanc ob rem denominatio partis therapeuticae excusanda est, praesertim cum in animo mihi sit, accuratius morbos durante puerperio organi principalis mulieris, mammarum systematis, vitae neonati fontis, exponere. Ratio tamen victus semper illi antecellit, nam omni ratione puerpera bene se habente, medico pauca restant.

Cura puerperarum specialis agendi rationem specialem offerat necesse est, qua morbos oriundos prohibere possimus. Quamobrem ostendere opus est:

A. quomodo se gerat puerpera ipsa;

B. quid sit medici, quatenusque ad puerperam animum attendat?

A. Quoad puerperam, illa tantummodo binarum rerum respectu habito bene se gerat necesse est, attamen hae pro felici puerperii decursu maximi ponderis sunt. Quo magis strenua illis paret, eo maiori corporis sui saluti prospicit diligentia, benignamque se praebet matrem. Sunt vero:

a) bona quoad psychen ratio vivendi.

Puerpera fere plane omnia negligat, nil fere curet; tam corporis quam et animi motiones aequum illi damnum afferunt. Quies praecipue in primis puerperii diebus saluberrima est. Quamobrem valde convenit, ut locum ab omni strepitu remotum, attamen satis amplum salubremque eligamus, quo pareat mulier, ut omnia sensualitatem irritantia, libidinemque ullam excitantia prohibeamus. Congruum etiam, ut cubiculum obscuremus, minime autem cubile ipsud. Contra vero iam dudum experientia docuit, vitatis sensuum irritamentis vehementibus e. g. vitata luce etc. et animi quietem valde augeri. Ut porro animi quietem puerperae servemus, curare, ne frequentissimus illique molestissimus salutantium commeatus illam turbet, nostrum est. Amicissimae illi cognataeque omnino singulae per brevius tempus morari possunt, menti imbecillae irritabilique solatium afferentes; omne tamen ex vetere more indicium triste, qualecunque sit, evitetur, neque de morbis periculosissimus aliarum puerperarum, immo de mortuis illis illae loquantur necesse est, quod inde iam facillime spasmi vehementissimi, immo affectiones lethales provocari possunt. Animi

inquies, libidines, cura de re familiari etc. saepissime morbos lethales improviso opprimentes provocarunt, vel puerperam in aegram mutarunt, tandem ex diuturno morbo morti obnoxiam. Libidines animique affectiones vel excitantes vel deprimentes aequum afferunt damnum. Ira, indignatione subitanea, terrore vehemente etc. et gaudio insperato repentino eo facilius morbi provocentur, constitutione non ita constructa, quin mulier statim inde afficiatur. Puerperae saltem inde cephalalgia afficiuntur etc. prorsus gastrice laborant, ac quoad vires restituendas per aliquot dies diminuuntur. Magnus hominum in cubiculo conventus aërem calefacit, vapore noxio illud replet omnesque auget affectiones morbosas; egomet ipse inde iam maniam puerperalem exortam vidi. Singula vel binae illi amicae procul sedentes modiceque loquentes, omni qua turbari posset, occasione sublata, illi ipsi prospiciant reique familiari; praecipue tum matrem iuvenem regentes monentesque et ad exactam statui suo convenientem vitae rationem blande impellentes, idcirco valde exoptandae suadendaeque sunt.

Conciliatam hoc modo extrinsecus necessariam animi quietem puerpera ipsa augere potest, ut, quantum vult, somno se det. Illo plurimum recreatur; excretiones naturales durante illo sine turbatione fiunt; actione organorum antea activorum sensim sensimque obdormiscente, eodem modo functiones aliorum organorum incipiunt. Somnus

quietus adiumentum maximi ponderis est regularis puerperii decursus, sicuti virium recuperandarum, ergo necesse est, ille puerperae servetur. Nunquam autem, durante illo omittendum est, quin mulier observetur, ut haemorrhagia forsitan intrans aliique casus similes satis tempore animadvertantur.

b) bona quoad corpus ratio vivendi.

Jam supra, quo generalia de cura puerperarum in medium protuleram, generatim quoque, quod magis congruum erat, tractatum est, quomodo se gerat puerpera. Iterum de vitae ratione quid in medium proferens tantummodo de vitae ratione, quoad diaetam loqui in animo mihi est. Quantopere vero iustus in illa modus interest, experientia maxime nos edocet, quamvis multi ea rixent medici. His sententia placet, puerperas in statum asthenicum incidisse ex causa vehementium partus laborum defatigantium sanguinisque inter partum iacturae, nihilque magis secundum naturae legem esse illi putant, roboratione mulieris debilitatae; illi vero aliam sequuntur sententiamelioremque. Physiologiae mulieris ratione habita regulae quoad victus rationem puerperae sumendae sunt. Illa quidem nobis probat maiorem in gravida functionum vis reproductivae energiam, non solum chylo multo meliore parato, sed etiam inde sanguine plus lymphae plasticae continente. Videmus gravidas scilicet bonae constitutionis consumere cibum, paulum materiae, qua alantur, continentem e. g. leguminosa pomaque, ex illis plurima sibi assimilare,

ideoque ampliorem corporis formam teretemque; adeoque gravidas antea pallescentes maceresque pulchriores florere; et illas, quae pauca vescentes carne, potius vegetabilibus utebantur, maximos infantes bonae valetudinis prodere. Quamobrem functiones mentis in gravidis praeterea ad omnem, quo corpus intenditur, laborem motionemque pigerrimis, quieti contra somnoque libentissime indulgentibus, multo lentius procedunt, multoque minus operis, in quo cogitent necesse est, capaces sunt. Omnia haec tandem probant, in gravidis vitam reproductivam omnibus aliis functionibus antecedere. Denique si omnia haec physiologiam nos observantes experientia docuit, praetereaque non inscios actionem quandam in organismo humano, voluntati animae haud subiectam, haud subito (actionis vicariae non ratione habita) obdormiscere posse, etiam non putare possumus, actionem hanc systematis reproductivi subito, partu facto, evanescere, sed potius aeque fortem habemus. Idcirco etiam amissus inter partum sanguis plane non timendus est, quo minus puerpera nimis inde debilitetur, sed derivat iactura haec partim auctam uteri actionem, partim sanguis amissus mox restituitur. Quod porro attinet ad laborem in partu, omnino non infitiari possumus saepius illo mulieris vires valde exhauriri, attamen non immemores sumus, constitutionem muliebrem capaciorem ad tolerandos labores esse etc. illa viri fortioris; illoque difficilius maioreque temporis spatio ex morbo refecto, mu-

lierem agilem multo citius salvam abire. Ita etiam puerperae vires celerrime reficientur si omnes in cura puerperarum res dictae, revera praesto sunt. Nunc vero, experientia nobis succurrente, proponentes, qualis puerpera, diaeta valde nutriente calidaque, contraque qualis, modica illa, minus nutriente antiphlogistica, se habeat, invenimus, medicis secundum physiologiam rationemque puerperam exacte tractantibus fortunam magis favere, quam illis, per speciem secundum rationem rem haud exacte explorantibus, exque more priorum puerperam tractantibus. Facillime nunc, omissa omni difficultate, haud longius de ratione victus apud puerperas instituenda dubitare possumus. In primis puerperii diebus, quoad cibos tantummodo tenues mollesque, qui corpus non inflent, permittendi sunt, facillime contra, sicuti in omnibus evolutionis revolutionisque periodis, corpore salvo ex maiore materiae copia hausta, turbato; utatur puerpera iusculo ex aqua cocto, tenui ex pane siliginea, e ptisania, crimno, iusculo avenaceo, vel ex prunis et cerasis cocto, quibus nunc dictis leniter simul alvus ducitur. Victum contra solidum: fructus Solani tuberosi, pastillos farinaceos, crambe quodvis leguminosaque, inflantia tubum intestinalem per hebdomades partu facto vitet necesse est. Quod attinet ad potum aqua frigidiuscula initio optima est, coctae etiam huic paulum panis et cinamomi addere, vel simul cum illa pomum concoquere refrigeratamque puerperae suppeditare possumus.

Generatim haustus potus omnibus puerperis saluberrimus est; diluit semel humores, stagnationem inflammationemque tollit, deinde vero simul nutrit. Cerevisia contra plane in primis diebus vitanda est; nimis calida facillime etiam diarrhoeam excitat. Sed et hic lex primaria: sit modus in rebus, maxime valet; cavendum est, ne puerpera nimiam semel hauriat ciborum copiam, edat contra saepius per diem. Nimia hausta copia a gravido antea utero abdomen debilitatum citius extenditur, quo denuo molestiae illi parantur, et laxum inde remanet abdomen. Sensim pedetentim transeat ad victum crassiorem, magis nutrientem, augeatque quantitatem; nunc enim diaeta antea tenui sine omni turbatione novae functiones intrarunt; lactis secretio prospere procedit, veteris functionibus sensim sensimque obdormiscentibus uterus, magna irritabilitatis parte amissa, humoribus intrantibus non magis tumet. Attamen in diem etiam parvulus plus nutrimenti postulat. Tum vero fruatur puerpera iusculo ex gallinis, vel carne facile concoquenda parato, iure carnis elixae crassiore additis simul ovis gallinaceis, medulla cycae, bibatque cerevisiam bene nutrientem necesse est. Caute vero durante puerperio vinum bibendum est, exceptisque casibus singularibus e. c. magna nervorum debilitate, magna corporis post evacuationes extenuatione, plane vitandum est.

Parem vero ac incrementum per os tubi intestinalis postulat status attentionem, excretionesque

per anum et ex vesica urinaria. His fere omnes consentiunt medici, omnibusque ad usum obstetricum libris scriptis legitur: puerperae semel per diem alvum ducendam esse.

Praeceptor tantummodo unicus vehementer simul curam puerperarum antiphlogisticam vituperans, si vero exactius exploraveris, ipse diaetam antiphlogisticam commendans, obstructionem alvi congruam putat. Aït: obstructa nonnullos per dies post partum muliere, potius maioris est commodi, neque ante quartam diem tollatur obstructio necesse est. Veretur, ne puerpera nimis debilitetur, lactisque secretio derivatione turbetur. Sin contra memores sumus, omni vitae statu, facilem promtamque alvi deiectionem maximi commodi esse, illa eo magis in puerperio opus est, propter quod infima tubi intestinalis pars in partu semper plus vel minus affecta, ad evacuationem saepius haud capax sit. Temere autem illa impedita, denique molestiis maximis inde afficitur puerpera; oriuntur dolores, spasmi, febricula etc. Vitatis vero omnibus fortiter laxantibus drasticisque alvus tantummodo per clysma solvenda est; simul tum alvi excretione per clysma etiam genitalia intus foventur, lochiorumque fluxus inde augetur. In primis ergo diebus obstetrix puerperae quotidie clysma ex Infus. flor. Chamomill. ex Dct, avenae, rad. Althaeae etc, cui paululum olei addat vel mellis, etiamsi alvus iam ducta esset, iniiciat necesse est. Alvo nondum ducta, ex duplici causa clysma indicatum esset,

quod gravi nixu facillime prolapsus genitalium internorum oriri potest.

Sin vero per clysma obstructionem non tollere possumus sive ex nimia faecium accumulatione et induratione, sive ex taedio puerperae, cremore Tartari nonnullis per diem drachmae dosibus, in aqua vel electuario lenitivo abhibitis, alvum ducere possumus. — Quod attinet ad urinae excretionem, providendum est, ut mox partu facto fiat, cum repleta vesica urinaria uterum comprimens magnum allatura sit damnum. Impedita hac excretione ex intumescentia magna genitalium propter partum difficilem, opus est catheterismo, sicuti inter partum ipsum. Genitalia autem, ut inflammationem nimiam illorum prohibeamus, ex Infus. flor. Chamomill. cui quid aceti saturnini addimus, fovenda sunt.

B. Quid sit medici, quatenusque animum attendat ad puerperam?

In puerperio regulari medicus tantummodo operam dare potest, ut morbos prohibeat, tum vero revera ortos ex puerperii charactere generatim adumbrato, secundum quem se formabunt, curet. Attamen vero in diversa symptomata, puerperio regulari plane coniuncta, animum attendat necesse est, quae ex natura illius profecta, morbi non appellari possunt,

Huc pertinent:

a) dolores post partum. Diversimode hi absque autoribus tractantur; nonnulli illos spasmos esse putant meros; alii vero et maiore iure illis naturam

concedunt dolorum ad partum. Opinio posterior praecipue experientia confirmatur. Respicientes nempe:

1. puerperas, in quibus oriuntur, praecipue illos vel in multiparis, quarum uterus, compluribus partubus iam parte vis contractivae amissa, nondum sese tali modo contraxit, sicuti in primiparis, ortos invenimus, vel in his, quarum foetus, haud iuste exculti, partus facilior celeriorque fieri poterat, priusquam uterus iuste contractus erat.

2. et ipsa dolorum post partum qualitas satis hos doloribus ad partum similes vel plane aequos declarat: illis, aeque ac his, periodice intrantibus, et sursum deorsum i. e. ex fundo uteri ad collum illius et vaginam provehentibus. Doloribus his pro primo ambitus uteri diminuitur, igiturque reditus illius ad priorem statum normalem intenditur; attamen cum hoc non excluso foetu haud fieri potest, tum etiam exclusio foetus pro secunda dolorum intentio habenda est. Conditionibus autem sub signo 1. positis uterus non satis contrahitur: fibrae igitur uteri longitudinales semper adhuc excluso iam foetu, illum graviditate diversa relaxatum diminuere volunt, simul vero orificium uteri iam magis contractum irritantes, in ipso uteri parenchymate, partus laboribus iam excitato, dolores provocant.

Carus dolores post partum ex causa supra dicta, oriundos dicit, simulatque spasmotici quid iis attribuit, tenesmo in tubo intestinali vel in vesica urinaria illos comparans.

Ioerg ex nimia uteri irritabilitate et nimis illi aucta vita illos derivat, iisque characterem adscribere vult inflammatorium. Ait ille: uterum sese in excludendo foetu plane defatiget, exoneretque aucta ex causa graviditatis irritabilitate sensibilitateque iusto modo necesse esse, ut postea in puerperio iuste sanari posset, neque mammae per antagonismum impeditae sint, quo minus parvulum nutriendi munus susciperent. Tum vero cum aliquo discrimine dolores post partum irritabilitatem sensibilitatemque nimiam sequentes oriuntur, quod uterus in pariendi labore celerrime decurrendo, non iusto modo sese defatigare potuerat.

Causis occasionalibus dolorum post partum annumerant praecipue: retentum sanguinem coagulatum, fragmenta placentae, polypos etc., utique corpora aliena uterum mechanice irritantia, igiturque contractionem in illo provocantia.

Per dierum quatuor vel quinque spatium, excluso foetu, durare solent, nonnunquam etiam diutius. Plerumque revocantur infante sugente, vel etiam inter irritamentum hoc, vehementiores fiunt. Quo sensibiliores autem papillae mammillares sunt, eo vehementiores etiam dolores post partum, ideoque etiam papillis sauciis mater infanti mammas praebens muneri huic in primis post partum diebus duplici ratione non satisfacere potest, semel doloris causa in papillis, dein vero propter maximos post partum dolores inde auctos.

Cura ex natura causisque, si vehementiores

puerperam valde dolores cruciant, instituenda est. Cognoscuntur vero ex exploratione per vaginam facta. Os uteri, partu facto, in priorem statum naturalem regressum, illis periodice intrantibus magis extenditur et portio vaginalis brevior fit. His symptomatibus a spuriis doloribus distinguuntur. Certe decurrentium tempore destinatur decursus; nam cessant tantummodo utero satis contracto. Quamobrem remedium nullum illis laboranti suppeditare possumus ad radicalem curationem, sed palliativis tantummodo sopientibus suppeditando iuvare possumus. Ortos vero ex causis mechanicis, quae manu tangere possumus (quamobrem nunquam exploratio omittenda est) remotis his e. c. remoto ex utero sanguine coagulato etc. illos tollere possumus. Ortis vero doloribus minime ex tali causa, sed ex causa mere dynamica prior tantummodo restat curatio et in illa opium remedium princeps. Audacter hoc magna dosi adhibemus; Mursinna dicit, dolorum illorum post partum diutius durantium parcam opii dosin unicam esse causam, ita ut medicus hic decem per diem opii granis datis, nullo ex dosi incommodo allato, salvam puerperam reddiderit. In muliere simul obstructa, vis opii obstruens tollenda est leniter purgantibus Tct. opii addita Praeterea clysmata emollientia in usum trahenda sunt; infricetur abdomini oleum ullum coctum, linimentum volatile vel illud Starkii, quod praecipua, sed magni pretii remedia mixta continet:

Rp. Ol. Hyoscyam:
„ papaveris aa unc. et dim.
„ Succini drach.
Spir. sal. ammoniac.
Liq. c. c. succinat.
Laud. liq. Sydenham. aa drach. duas.
M.

infricationeque facta, panno laneo calefacto abdomen obtegitur.

b. lochiorum fluxus. Lochia praecipue symptomata mutationis in utero maximi ponderis sunt; anomaliae igitur in illis minime tantummodo morbi singulares existunt, sed saepius morbum universalem sequuntur, illique coniunctae sunt. Lochia modice et regulariter defluentia, neque incommodum afferunt, neque molestiam, et naturalem illa habere possumus excretionem haud remediis egentem. Generatim vero notandum est, sicuti in menstruorum fluxu certum quantitatis excreti modum haud proponi posse; fluxus potius lochiorum ex diversa individualitate diversissimus est, ita ut anomaliae, quibus coenaesthesis magis turbatur, mere morbosae appellari possint. Intrantibus vero anomaliis et medici est, succurrere puerperae quam celerrime. Illae vero praecipue sibi opposita amplectuntur i. e. lochia vel copiosiora, in meram haemorrhagiam transeunt, vel minus copiosa plane opprimuntur; tertium verum anomaliae genus, minoris tamen ponderis, in lochiorum qualitate esse potest.

aa. Lochiorum fluxus copiosior. Causae genera-

tim iam supra propositae sunt; curatio illas plane sequitur. Attamen essentialiter distinguendus est fluxus hic copiosior:

α. ex quantitate sanguinis semel et repente prorumpentis, in haemorrhagiam;

β. ex temporis spatio longiore, in excretionem lochiorum magis diuturnam eandemque ob causam fortiorem.

α. Metrorrhagia oritur tantummodo passiva, utero non, quo par est, contracto, contractioneque a puerpera ipsa inquiete se gerente, vel ex aliis irritamentis turbata; oritur igitur praecipue in multiparis, quorum puerperium, etsi haemorrhagia non minoris ponderis sit, prorsus inde haud irregularis appellatur. Restituta tum quiete perfecta et puerpera situ horizontali collocata praecipue contractionem augeamus necesse est tam internis quam et remediis externis. Externum in usum vocamus: infricationes linimenti volatilis, napthae etc., irritationem uteri mechanicam perpetua iniectione infusi tepidi specierum, cui acetum vel vinum addimus; optimum vero injiciendum aqua est frigida; inducimus utero incurvatum tubum magni ostii insertosque illi clysteres aqua frigida repletos per longius tempus evacuamus. Abdomini ipsi ad maximum puerperae commodum, loco lapidis serpentini Bernsteinii, gravior sacculus, arena impletus humida, imponitur. Interne in usum vocamus excitantia et adstringentia: acidum Halleri aquae immixtum ad potum, serum lactis aluminatum, infusum corticis cinamomi

(unc. octo ex dr. duab.). Tct. cinamomi, Tct. opii, acid. phosphoric., Dct. rad. Ratanh. etc. etc. remediaque haec inter se coniungimus.

Rp. Tct. cinam. drach. ij.
Acid. phosphoric. drach. I.
S. Sumantur per horam guttae triginta

Rp. Alumin. crud. drach. I.
G. Kino gr. xx.
Opii pur. gr. ij.
F. plv. Divid. in vj. p. aequal. S. Ternis horis pulvis sumatur.

Vogel.

Rp. Aq. Menth. pip.
" Meliss. aa. unc. IIj.
Tct. cinamom. unc. I.
Lapid. haematit. scrup. ij.
Syrup. Meliss. unc. I.
S. Binas p. horas sumatur cochlear.

v. Switen.

β. Fluxus lochiorum nimis diuturnus. Haemorrhagia haec solummodo quoad gradum ab antecedente diversa, eadem nititur causa, priore. Uterus multo magis quidem contractus, attamen longiore post partum tempore praeterlapso nondum plane contractus est; ex vasorum ergo luminibus apertis semper adhuc serum sanguineum excretum maiore quantitate defluit. Hoc quidem casu praecipue remedia interna modo dicta, indicata sunt; omnia his

tollimus, dum casu priore remediis externe applicatis plurimum debemus.

b b. Lochiorum fluxus impeditus vel plane oppressus. Causae diversae vel spasmo nituntur, vel inflammatione; causae mechanicae minus valent. Vel in utero ipso vel alio in organo statu irritationis intrante effectus semper idem remanet lochiorumque fluxus per antagonismum sublatus est. Eundem statum, et spasmus progignit e. c. ore uteri antecedente vehemente animi motu spastice clauso anomalia haec oritur. Cuiusmodi autem causa sit impediti lochiorum fluxus ex exploratione universi status, ratione causarum occasionalium habita, neque exploratione per vaginam neglecta, redundet necesse est. Ea, quae excretionem hanc impeditam per se sequuntur, maximi ponderis sunt ex causa magis topica e. c. refrigeratione pedum, abdominis, vehemente animi motu etc. orta, et sicuti oppresso menstruorum fluxu in forma spasmorum, dolorum vehementium, intumescentiae abdominis, tensionisque apparent; febris puerperalis inde sequetur, eoque certius apparebit, quo prius lochiorum fluxus post partum opprimitur. Retentio, morbus primarius, ex causa varia varie tollitur, vel antiphlogisticis vel antispasticis. Sin vero symptoma morbi universalis est, ad hunc praecipue animum attendimus. Remediis topicis utimur fomentis super abdomen applicatis; iniectionibus in vaginam tepidis clysmatibusque emollientibus, praecipue et balneis calidis.

c c. Qualitas lochiorum defluentium anomala

praecipue priore genitalium morbo locali nititur e. g. syphilide, carcinomate etc. Cognoscitur praecipue ex odore et colore alieno, simulque excoriationes genitalium externorum et femorum inde ortae animadvertuntur. Mundities maxima saepius eluendo genitalia iniectioneque humoris tepidi praecipue Infus. flor. Arnicae praecipua sunt remedia palliativa.

c. Febris lactea. Priusquam demonstrem, quomodo medicus puerperam durante febre lactea curet necesse est; antea in medium proferre opus est, an illa re vera oriatur, nec ne? Varie de hac autores sentiunt; nonnulli enim illam negant, alii vero plane illam necessariam habent. Ad juste hanc dijudicandam tantummodo experientia edocti loqui possumus; haec vero docet:

1) in plurimis puerperis tertio vel quarto post partum die febre continuo remittentem ortam, triduo inde benigne decurrere. Inde concludendum est, febrem frequentissime ortam, ad regularem puerperii decursum pertinere necessariamque esse.

2) in illis casibus, quibus febris non satis intrat, puerperam saltem paulum frigore tactam horrere, tum vero calore affici pulsu frequentiore. Is quidem status, horror ex lactatione ortus dictus, haud quoque negandus est, nam satis notum est, status morbosos valde se fingere ex individuo rebusque externis, itaque, ex fortiore vel peiore individui constitutione, magis vel minus exacte se ostendere.

3. intrante quavis nova secretione, simul febriculam oriri, quae ex principiis pathologiae generalis diversa est. Optime hoc probat febricula illa, quae transeunte inflammatione maioris ponderis in suppurationem animadvertitur, ideoque ubique a pathologis febris suppurationis nominatur. Ex analogia igitur in febrem lacteam concludere possumus

Quaeritur nunc, unde fit, ut viri haud minoris experientiae, singulis puerperis febrem ortam esse negent? Sane nunc respondendum est, ratione habita rerum externarum: huc enim bona puerperae constitutio inde minus affecta, horrore lacteo citius transeunte, iterum bene se habuit, quin mulier medico indicaverit; illuc vero puerpera simplicior minus status sui rationem habuit.

Causas febris autores varie enarrant. Burserius causam febris sic dictae lacteae in irregulari sanguinis circulatione ex celeriore vel lentiore uteri contractione orta, positam esse putat, febremque evanescere dicit, sensim sensimque sanguinis circulatione regulari facta. Porro narrat, febrem non secuturam esse, utero ita se contrahente, ut circulatio inde non turbetur. Opinio haec omnino undique iusta est; in primo casu orta plethora vasa valde irritantur, tum vero crisi propria, intrante scilicet lactatione, febris remittit, in secundo verum casu fluxus lochiorum vices lactationis suscipit, illoque humorum abundantia evacuata, febris lactea minus vehemens distinguitur.

v. Switen putat, leviorem excreta placenta in

loco adhaesionis illius in utero ortam inflammationem transire in suppurationem, indeque febrem oriri. Ille vero febrem lacteam plane febri suppuratoriae adaequat.

Braunius, sicuti febrem gastricam, oriri putat febrem lactationis ex nimia in mammis humorum accumulatione, allegorice mammas pro ventriculo infantis habens; attamen certum astheniae gradum necessarium habet, partim iam praesentem, partim vero ex accumulatione orientem.

Joerg febrem lactationis adhuc febrem gastrico rheumatico - vulnerariam appellat.

Carus febrem hanc ex aucta irritabilitate systematum sanguinis nervorumque oriri dicit, generali igitur appellat nomine febris.

Febris sine periculo esse solet, rarissimeque auxilium medici postulat. Ratio victus generatim morbis febrilibus levioribus coaptata, levis potus antiphlogisticus, diaphoresin augens, diaeta levissima, matre modice parvulum mammis nutriente, et contra cura, de bona lactis excretione, resolutione sensim sensimque intrante lactisque derivatione, laxantibus salinis, plurimis in casibus unicae sunt medendi regulae. Multum autem conferre possumus, ut febrem lactationis magni ponderis, multasque ei coniunctas prohibeamus molestias. Maximum refert, ut quam mature lactis secretionem promoveamus, quod praecipue duodecim inde a partu horis praeterlapsis, infante mammis apposito fit. Tum etiam

essentiale prophylacticum est aliorum maioris ponderis morborum, qui ex febre lactationis oriri possunt, purus tubus intestinalis. Affectiones gastricae febri lactationis adhuc supervenientes hanc saepius valde complicatam reddunt. Cavendum igitur, ne mulier ex diutiore iam tempore obstructa peperit; semper usque ad partum corpus bene agitet necesse est, tueatur mammas ab omni refrigerio etc. Matre autem ipsa nutrimentum ex mammis parvulo non suppeditante, derivatione, qua tubi intestinalis actio augetur, vehementior lactationis febris prohidenda est,

d. regularis mammarum functio. Haec vero maxima medici puerperam curantis animi attentione digna est illeque prospiciat oportet, ut tam secretio quam et secretum lac semper normalis sit quantitatis qualitatisque. Optume tum crescit parvulus, mamma materna gaudens, contra vero, loco nutrimenti venenum, ut ita dicam, ex matre trahit.

Quomodo vero iustus utriusque modus adducatur, inde maxime illucet, ut simul anomaliis illius propositis, curam in medium proferamus.

Lactationis anomaliae.

aa Secretio anomala

α. ex diminutione. Is vero status cognoscitur ex continua mammarum flacciditate, glandularum ularum et vasorum lactiferorum. Nititur vero anomalia haec praecipue mala generatim corporis nutritione praecipue ex aliis orta morbis e. c. phthisi pulmonum. Hac autem sub conditione opus est,

mulierem infantulum mammis non nutrire, nam pertinaciter nutritionem prosequentes, statum hecticum adducere possumus, vel si iam adesset multo celerius morte exstincta esset puerpera. Nutritionem vero et lactationem minorem tantummodo ex infaustis rebus externis ortas, primo potu frequentiore praecipue Dct. sem. Anisi, vel foeniculi, Dct. secalis aestivi, dein vero diaeta magis nutriente, frequentius suppeditando cerevisiam, quiete animi etc. saepius sufficientem lactis secretionem provocare possumus. — H. Meyer medicus apud Berolinenses ad hunc finem matri dat emeticum, tum vero infanti mammas praebere (quodque irritamentum mammarum generatim haud negligendum est) matrique crassiore pulte miliaceo frui iubet.

β. Ex nimio incremento. Etsi etiam saepius lactatio aucta optanda, infantuloque salutaris esset, saepius tamen matri damnum affertur, ortis inde mammae nodis, inflammatione suppurationeque. Cognoscitur status hic ex continua rigiditate, intumescentia dolente duritieque mammarum, quas infans evacuare non potest. Ut malum hoc dictum prohibeamus, tam cura therapeutica, quam diaetetica utimur, huncque ad finem puerpera simul victu debili tenuique suppeditato, potum modicum commendamus. Tum vero saepius infantulus mammis apponatur necesse est, hocque non omne lac extrahente, et alter adhuc. Si vero hoc non sufficiat, exhauriatur vel exsugatur lac e mammis necesse est adhibitis antlia lactis (a Stein, Kluge, Schulz propo-

sitis) vel ampulla vel vitro ad exsugendum lac e mammis aptis (Theden); tum etiam lintea sicca calefacta mammis imponimus; infricamus oleum ullum calefactum, cui praecipue camphora immixta est; simul jubeamus puerperam diutius in unum vel alterum latus cubare, quo situ in maximum puerperae levamen lac per se mammis defluit. Adhibuntur quoque vapores tepidi, mammis ascendentes, cataplasmata, leniterque laxantia et haecce quidem derivationis causa.

bb. Excretio anomala

α. ex diminutione. Similibus, ac aucta secretio, symptomatibus apparet excretio lactis impedita, simul tantummodo in hac rigiditas vel nimia lactis accumulatio papillarum adest. Causae tantummodo in mammarum papillis positae sunt, his vel plane deficientibus, vel crassioribus constructis. Summatim eadem hic valet ratio medendi ac aa. α. Remedio magis topico ad relaxandas papillas utimur operculis papillarum (e stanno fabricatis et elasticis), vitris mammarum (occlusis); vel etiam cataplasmata imponimus. Si vero papillae involucrum cutaneum habent; cataplasmate solvitur tuncque chartae lusoriae margine deradi potest, vel papilla nimis rigida mollior fiat necesse est. Papillis plane profundis, ita ut pavulus illas non capere possit, semper adhuc sicuti jam in gravida institutum erat, papillarum opercula stannea in usum trahenda sunt, ut partes papillam circumdantes reprimerentur, vel antlia lactis adhibita papillae protraherentur.

β. ex aucta excretione. Mammae flaccescunt; e papillis relaxatis lac continuo defluit, praesertim cum infans uni vel alteri mammae appositus sit. Inde praesumi potest status asthenicus, qui tam topicus, quam et universalis esse potest. Statu priore relaxationis topicae, quaevis compressio topica, tollatur necesse est; removenda sunt papillarum opercula etc., contra vero mammae suspensorio mammillari sursum ligantur, ipsisque papillis linteum spiritu frumenti humectatum imponitur.

cc. Secretum anomalum.

Minoris nunc ponderis est qualitas anomala quoad consistentiam lactis nimis aquosam vel nimis pinguem etc, sed potius qualitas vitiosa, quae lacti praecipue ex causa psychica matris communicari potest: attamen lactis probatio loco in medium proferri liceat. L. Bonaciolus illam recte fieri narrat „supra vitreum umbonem, si neque prorsus fluet neque umbone reclinato omnino constet; aut si in vasculo illius portio emulgeatur, myrrhae tantillo adiecto, sero pariter atque caseo pars aequa detur. Probatissimum etiam ille, si in ungue haereat, nec defluat (atque quod a partu quadraginta et quinque sexagintaque solibus abscesserit).“ — Partes lactis constitutivae, quas notas omnibus habeo, non semper in aequa proportione sunt; praecipue ex victu et ex tempore inde a partu praeterlapso differunt. Hoc modo etiam in vitio lactis consistentiae, ex quo lac nimis tenue vel nimis pingue postulet, meliore vel minore diaeta succurrere possumus. Constanter ve-

ro lac in primis post partum diebus plurimum saccharum, minorem vero pinguedinem minusque albuminis continet, ita ut postremo proportio contraria locum habeat. Item: matre plus carnis vescente, lac minus ad aciditatem inclinat, quam quod si vegetabilibus magis uteretur. Attamen inde non putandum est, quamque victus mutationem etiam lac secretum mutare; bona assimilationis vi mater et cibos minoris pretii in lac salubre commutat.

Aliter autem res se habet cum animi pathematibus, valde lac commutantibus; cautissime ergo, si damnum infanti non afferre vult, mater agat necesse est. Emulgeat semper post grave omne animi pathema, ut magnum terrorem, vehementem iram, anxietatem etc. lac e mammis, neque prius parvulo illas praebeat, quam ex animi illa affectione plane restituta sit. Facillime enim contra vehementes dolores colici, diarrhoea et spasmi epileptici oriuntur. Celeberrimus Swietenius infantem vidit, qui ira furentis nutricis ubera duxerat, mox fuisse convulsum, licet sanissimus fuit antea, et Henke, exemplum narrans, infantem a nutrice, ira incensa, ut a parentibus se vindicaret, statim mammis appositum, horis inde nonnullis praeterlapsis, convulsum mortuum esse, simul putat exempla eiusmodi sane non rarissima fore.

e. Cura mammarum diligens, organorum partiumque corporis muliebris.

Hac vero tantummodo illam comprehendo, qua mammae post partum, puero ex illis sublato am-

plectendae sunt. Una parte, omnia iam antea de his dicta, huc quidem pertinent, attamen melius separatim tractari poterant. Restat igitur, ut de cura mammarum i. e. partium organismi muliebris, morbo affectarum loquar.

Etsi prius cura prophylactica proposita est, saepius tamen proh dolor! evenit, ut morbi oriantur locales. Tum vero medici est, status huius morbosi tam pro tempore praesente, quam et futuro damnum frangere, quantum fieri potest. His vero morbis sequentes annumerandi sunt:

aa. inflammatio mammarum.

Mammae tumentes colorem recipiunt rubrum, urent et valde dolent, lactisque secretio diminui solet, vel plane cessat.

Initio tumor laevis nitidusque est; aucta vero inflammatione, qua et vasa lactifera tument, mamma ipsa inaequalis tumulosaque fit. Vehementissimam inflammationem adeo febris sequitur oriturque cephalalgia. Febris haec, quae demum expost i. e. lactatione iam bene procedente, oritur, a nonnullis autoribus febris lactationis nominatur, attamen iuste a vera febre lactea illi antecedente, distinguenda est. Febris illa, quae topicam mammarum inflammationem sequitur, inflammatoria est, quae ex charactere, si vehementior fit, curanda est; febris autem vera lactea mixtum habet characterem. Cura localis mammarum inflammatarum suppurationem intendit, quam ob rem cataplasmata ex speciebus ad cataplasma ph. bor. unicum remedium in usum vocanda sunt, ceteris omnibus reiiciendis. Si ad resolutionem inflamma-

tionis hirudines etc. applicare velis, magis damni afferres, quam prodesses; dolores enim in singulos vel binos dies omnino mitigati, denuo multo vehementiores oriuntur, qui, inflammatione locali sanguinis evacuatione lentius procedente, per longius etiam spatium durant. Item oncotomia reiicienda est, inde enim suppuratio valde diuturna pessimaque oriri solet, ita ut, P. Frank dixerit: tristissimos insana carnificum chirurgorum abscessus mammarum, necdum perfecte maturos aperiendi — libido, inumeras iam puerperas — hoc fonte e quo primam vitam sugimus — spoliasse. — Cataplasmatibus continuo adhibitis abscessus mammae maturatus per se se aperit. Pus cauta manu non semel evacuetur necesse est, sed cataplasmata tamdiu adhibenda sunt, donec non pus, sed potius serum defluat. Tum vero vulnus ungt. rosato tractatur.

bb. tumores ex lacte orti. Oriuntur hi, inflammatione mammae non in suppurationem transeunte, sed si neglecta illa vel ex causa malae puerperae constitutionis exitu in indurationem discernitur, vel etiam suppuratione intrante, tumores indurati remanent. Hoc casu remedia, quae localem transpirationem, simul vero resorbentium augent actionem vasorum, in usum trahenda sunt e. g. mamma pulvillo herbis medicatis referto, pelli molli, panno multiplici laneo obtegenda est, vel ipsi imponitur emplastrum resorptionem augens, praecipue emplastrum ex empl. mercurial. et emplastr. saponat. aa, vel cum camphora malaxatum imponitur.

Quamdiu ceterum, statu tali morboso orto, mater mammas praebere posset, ex rebus concurrentibus metiatur, necesse est. Abscessu minore orto saepius puer nutriri potest; maiore autem abcessu saltem ex mamma affecta lac non sugi potest, quod non salubre est. Ut vero sensim pedetentim indurationes resorbeantur valde prodest, si mater continuo mammas praebet.

c c. excoriationes papillarum. Malum hoc saepissime apud puerperas oritur praecipue partu modo facto, pueroque per diutius vel brevius temporis spatium sugente. Papillae dolent praecipue puero ex illis lac trahente. Exactius illas perscrutantes, epidermidem pluribus locis resolutam invenimus, hasque inflammatas. Puero et amplius sugente modo postea cavitates formantur, quae papillam scindunt; hae, capta ab infante papilla, non solum magnum causant dolorem, sed etiam haemorrhagiam minoris ponderis. Contra vero locis sauciis crustae ex lympha plastica formantur, quae vero iterum puero sugente auferuntur; oriuntur denuo dolores augenturque, ita ut puerperae saepius febre afficiantur. Ut bene papillae sauciae consanentur praecipue mammae quiete opus est; puerpera infantem mammae sauciae non apponat, vel papilla utraque saucia minus mammas praebeat, sed illi saepius cibus in os inferendus est. Ad usum externum remedia varia eliguntur e. g. inunctiones spirituosorum: spir. frumenti, spir. ex oryza, aq. vulner. Theden: vel illinuntur papillae oleosis: oleo

ovorum, amygdal. cerae, vel proprius unguentis linimentisque:

Rp. Butr. de Cacao drach. ij.
Bals. peruv. drach. dim.
M.
Ribke.

Rp. G. Mimos. drach. ij.
Bals. indic. drach. I.
Ol. amygdal. d. drach. et dim.
Aq. rosar. unc. I.
M.
Müller.

Rp. Balsam. peruv. drach. I.
Solve
Vitell. ov. q. s.
Spirit. Serpyll. vel
Aq. vulner. Theden. unc. et dim.
M.
Joerg.

Linimentum Mülleri optimum dicitur; linimento enim papillae illito, in crustam exsiccante, puer sine damno tam sui ipsius quam et matris sugere posse narratur. Pessimo in casu utimur operculis papillarum, spongia longa instructis, simulque vesicula pluribus locis acu puncta, obtectis. Ruethenic operculos hos ex vitro fabricandos curavit; qui quidem omnino optimi sunt: nam mundities non solum inde augetur, sed videmus etiam, an infans sanguinem sugat, nec ne.

Nutrito vero parvulo ex mammis matris, usque dum dentes primores apparuerint, amoveatur a mamma necesse est, nam ipse nunc maxilla magis valet. Quod vero sensim sensimque fieri potest: nam primo infans mammam nimio fletu desideraret, deinde vero ex ratione victus celerius mutata alia incommoda redundarent. Mater potius in dies rarius puerum mammis admoveat, ita ut semel tantummodo per diem admotum, tandem plane amovere possit. Ita etiam in dies lactis secretio diminuta tempore plane sine ullo matris incommodo cessat.

Curriculum Vitae.

Ego Theophilus Friedericus Schiele natus sum Halberstadii 1805. die vicesimo quinto M. Septembr. a patre carissimo, Friederico Schiele ac matre Johanna e gente Krause christianaeque religioni secundum Calvini formulas addictus sum. Ab anno aetatis nono alumnus Stephanei, gymnasii Halberstadiensis, in literis, quae ad studia academica viam muniunt, eruditus et per triennium in prima classe versatus, anno 1824. M April. civibus, Seminarii Regis Friederici Guilelmi medico-chirurgici adscriptus sum. Per quadriennium tunc hisce interfui praelectionibus Virorum clarissimorum:

Cel. Wolff de hodegetice et logice. Ill. Rudolphi de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia dentium et organorum sensuum, de anatomia tam comparata quam pathologica disserentem audivi. Osteologiae, splanchnologiae, syndesmologiae, artis formulas medicinales concinnandi et anthropologiae forensis praecepta accepi ab Ill. Knape. Eodem et Rudolphi in arte cadavera rite secandi praeceptoribus gavisus sum. Ill. Link historiam naturalem et botanicen, Ill. Lichtenstein zoologiam, Cel. Schultz theoriam generationis mihi

tradiderunt. Frequentavi praelectiones Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia, Ill. Rudolphi et Cel. Eck de physiologia tam generali quam speciali. Pathologia generali et semiotice, Ill. Fr. Hufeland, therapia tam generali quam speciali Ill. W. Hufeland et Fr. Hufeland, pathologia speciali et morborum mentis nec non syphiliticorum cura Ill. Horn me imbuerunt. Materiam medicam fontiumque medicatorum historiam mihi praelegit Ill. Osann. Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi interpretatus est, qui simul exercitationes disputandi moderatus est.

Chirurgiam generalem, fascias applicandi praecepta, de ossibus fractis luxatisque doctrinam, artemque obstetriciam Ill. Kluge me docuit. Tradiderunt mihi ophthalmiatricen Cel. Jüngken, chirurgiam generalem et specialem Ill. Rust, akiurgiam Ill. de Graefe, Rust et Kluge. Exercitationibus clinicis medicis adfui Perill. C. W. Hufeland et Ill. Neumann, chirurgicis Ill. de Graefe et Rust.

Quibus studiis peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosodochio Caritatis Berolinensi per annum functus sum. Iam vero tentamine philosophico, tentamineque et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

Quo facto Francofurtum ad Viadrum me conferre iussus sum, ut in legione pedestri duodecima medico-chirurgi militaris inferioris stipendia facerem.

Libri, quibus in elaboranda dissertatione usus sum.

Braun, über d. Werth u. Wichtigkeit der weibl. Brüste. Erfurt 1805. 2 Bde.

Carus, Lehrbuch der Gynäkologie. 2 Bde. Leipz. 1820.

Froriep, v. Theoretisch - practisches Handbuch der Geburtshülfe. Weimar 1822.

Gynaeciorum etc. commentarii. III Tom. Basileae 1586.

Henke, Handbuch der Kinderkrankh. Frankf. a. M. 1822. 2 Theile.

Horn, Archiv f. med. Erfahrung.

Joerg, Handbuch d. Krankheiten d. m. Weibes.

Journal der Erfindungen etc. 43 St.

Klees, über d. weibl. Brüste. Frankf. a. M. 1798.

Klein, Interpres clinicus. Lips. 1826.

Meissner, Forschungen des 19. Jahrhunderts etc. Leipzig 1826. 3 Bde.

Mursinna, Abhandlung v. d. Krankh. der Schwangern etc. Berlin 1792. 2 Thle.

Müller, Med. prakt. Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. u. Leipz. 1795. 4 Thle.

Roeslin, Der Swangern Frauwen und hebammen Rosegarten. Cöln 1512.

Raulin, Abhandlung der Krankheiten der Sechswöchner. A. d. Franz. übers. v. Burdach. Leipz. 1773.

Reil, Archiv f. Physiologie. 7. Bd.

Schweighaeuser, Aufsätze über Gegenstände der Geburtshülfe. Nürnberg 1817.

Siebold v., Lucina. VI Bde. Marburg.

Smellie, Hebammenkunst. Uebers. von Zeiher. Altenb. 1755.

Steidele, Verhaltungsregeln f. Schwangere etc. Wien 1787.

Vogel, Handbuch der prakt. Arzneiwissenschaft 2r Bd. Stendal 1789

Theses defendendae.

I. Methodus Pechiana Tartarum stibiatum ab initio in pulmonum inflammatione adhibendi omnino rejicienda est.

II. Ligatura maximi cuiusvis vasis rejicienda est.

III. Externa Chinini applicatio haud est commendanda.

IV. Arteriae ad sanguinem movendum nil iuvant.

V. Arteriotomia nunquam indicata est.

VI. Quisque abscessus magna aperiendus est incisione.

VII. Haemorrhagiae inter partum exortae remediis tantummodo externis sunt sedandae.

VIII. Ferrum candens in morbis articulorum, haud magna partium mollium copia obtectorum, applicatum, plus noxae affert, quam utilitatis.